

caule simplicissimo, foliis amplexicaulibus (cordatis) *Hort. Cliff.*, 65, § 11.

Myagrum tuum foliis lanceolatis, fl. albis, non novi.

Videor tibi, amicorum integerrime, nimis scrupulosus circà nomina quædam specifica; ego autem vereor quòd nunquàm fuerim satis scrupulosus.

E. gr :

1. *Solanum*, caule aculeato, herbaceo, foliis oblongis, etc., quod à me dictum.

2. *Solanum*..... aculeatum, herbaceum, fol. obl., tu potiùs dices.

3. *Solanum* herbaceum, caule aculeato, fol. obl., posset etiam dici.

Sed observes, quæso, quòd aliæ species Solani sunt caule tantùm aculeato, aliæ solùm foliis, aliæ solis calycibus, aliæ et caule et foliis et calycibus. Cum integra planta est aculeata, dico *Solanum aculeatum*; eùm autem, distinctionis causâ, ut plantam ab aliâ simili segregem, addo caulem aculeatum; hoc fit ob causam necessariam.

Quòd verò ad herbaceum attinet, potest dici uti in nomine 3, sed æquè facilè, caule herbaceo, eùm non augeat differentiam.

Quòd verò ad *bipinnata*, *tripinnata*, etc., loco *duplicatò pinnata*, antè agnovi hanc notam optimam, sed à te detectam, mihi antè non notam,